



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XI. De modo piè recitandi Officium Divinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

cum DEO, in quo orans suum tum erga DEUM, & Cælitum erga seipsum, aliósque homines tam vivos, quam defunctos amorem præclare ostendere, & eorum vicissim benevolentiam & beneficentiam promereri possit; ex altera parte Breviarium aut alias preces plenas esse pulcherrimorum virtutum affectibus, utilissimisque petitionibus ab ipso Spiritu Sancto dictatis sibi persuadeat. 2. *Renovatio attentionis* per certa intervalla, maximè ad Versum *Gloria Patri* procurata. 3. *Accurata sensuum custodia*: quæ est Mater Conservatrix devotionis. 4. *Præsentia DEI & Sanctorum* memoriæ firmiter, ab initio maximè Orationis, impressa. 5. *Obligationis & Officij consideratio*; si videlicet perpendat se ideo ab Ecclesia ordinatum, ut DEI obsequio, laudibusque se totum impendat, & quasi Legatus & Mediator inter DEUM & Fideles existens, horum necessitates & petitiones DEO proponat, & commendat.

§. XI.

De modo piè recitandi Officium divinum.

Hunc breviter, sed bene indicasse videtur S. David Psalmo 46. dum ait: *Psallite Regi nostro, psallite: Psallite DEO nostro, psallite: Quoniam Rex omnis terra DEUS, psallite sapienter.* Ubi repetito quinquies verbo *Psallite* rectè aliqui colligunt, eum breviter indicasse omnium potentiarum hominis ad recitationem Breviarij concurrentium Officium atque adeò voluisse, ut *psalleremus.*

I. *Quoad vocem & linguam, distinctè*, singula verba bene proferendo, atque ab omni inordinatâ acceleratione sedulo abstinendo.

II. *Quoad memoriâ, attentè*, cavendo studiosè omnium animi distractiones, ideòque sensus accuratè custodiendo, omnia impedimenta, quæ dictam attentionem impedire solent, & quatuor potissimum numerantur, videlicet *culpa mordens, cura pungens, affectio vicens, afflictio crucians*, fortiter atque constanter removendo.

III. *Quoad intellectum, intelligenter*, dando operam, sensum à Spiritu Sancto & Authore Psalmorum intentum penetremus, sicque voluntati facem præferamus ad similes affectus eliciendos.

IV. Qu